

Wilhelm Divitis von Lierre

fol. 56<sup>r</sup>

occasione<sup>l)</sup> dicte nostre presentacionis de dicta filiali ecclesia ac suis iuribus et pertinenciis universis intuitu pietatis effectualiter dignemini investire adhibitis circa hec sollempnitatibus in talibus debitis et consuetis. In cuius nostre presentacionis ac premissorum fidem et testimonium predicte nostre universitatis rectoratus sigillum duximus appendendum. Datum in dicta nostra universitate Heydelberge anno domini millesimo quadringentesimo vicesimosexto mensis novembris die decimaquarta.

5

<sup>k)</sup>Item decimanona die mensis decembris post missam universitatis ad sanctum Iacobum celebratam in stuba maiori ibidem convocatis omnibus doctoribus et magistris <sup>l)</sup>per iuramentum<sup>l)</sup> nominatus fuit magister Albertus de Bamberga ad canonicatum et prebendam ecclesie sancti spiritus vacantes per promocionem magistri Nycolai Ottonis licentiati in theologia sub<sup>m)</sup> tali condicione sive eciam disiunccione, quod, si ipse non vellet acceptare, quod tunc magister Iohannes de Rychem deberet acceptare.

10

[1426 Dezember]

15

[56r] <sup>n)</sup>Rectoratus magistri Wilhelmi Divitis de Lyra

Anno domini m<sup>o</sup> cccc<sup>o</sup> xxvi<sup>o</sup> in vigilia sancti Thome apostoli [20. Dezember] facta congregacione doctorum et magistrorum in capella beate Marie virginis per iuramentum super eleccione novi rectoris per honorabilem virum magistrum Arnoldum de Thoren rectorem immediate precedentem electus fuit concorditer in rectorem magister Wilhelmus de Lyra sacre theologie bacularius pro tunc tamen absens, in cuius rectoratu acta sunt subscripta.

20

<sup>o)</sup>Anno domini 1427<sup>o</sup> secunda<sup>p)</sup> die ianuarii magister Arnoldus de Thoren baccalarius in decretis rector universitatis Heydelbergensis immediate preteritus de perceptis et expositis per eundem in suo rectoratu singulis hincinde defalcatis remansit prefatus magister Arnoldus obligatus universitati in xxv florenis quinque solidis denariorum et tribus denariis, de quibus ad statim satisfecit rectori presenti presentibus honorabilibus viris et magistris magistro Iohanne Plate de Frideberg, magistro Gerhardo Brand in

25

30

<sup>l)</sup> korr. A <sup>k)</sup> Handw., wohl wieder die fol. 52v oben und 53r schreibende Hd.; vermutlich die Hd. des Rektors Arnoldus de Thoren A <sup>l)...</sup> mit Verweiszeichen auf dem Rd. nachgetr. A <sup>m)</sup> folgt condicio gestr. A <sup>n)</sup> Handw. A <sup>o)</sup> Handw. A <sup>p)</sup> mit Einfügungszeichen über der Z. vor Streichung nachgetr. A